
DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

VACCINA.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE
VACCINA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOSEPHUS GULIELMUS MAXWELL,

AMERICANUS,

CIVITATIS GEORGIANÆ CIVIS.

“ ———— Si qua manent sceleris vestigia nostri,

“ Irrita perpetuâ solvent formidine terras.” VIRG.

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII,

1803.

SORORIS MARITO,
JOANNI COUPER

ARMIGERO,
GEORGIANO CIVI AMERICANO ;

ITEMQUE
GULIELMO HANDY, M. D.

MEDICINAM
AD NOVUM LONDINIUM
IN
CONNECTICUTANA AMERICÆ CIVITATE
FACIENTI ;

NECNON
HENRICO SHORTING, M. D.
ARTEM SALUTIFERAM,
AD WALSHAMAM
IN COMITATU BRITANNIÆ NORFOLCIANO,
EXERCENTI ;

HANC DISPUTATIONEM,
AMICITIÆ ET OBSERVANTIÆ
PERTENUE PIGNUS,

D. D. DQUE
JOSEPHUS GULIELMUS MAXWELL,

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

VACCINA.

PROOEMIUM.

§ I. **E**X quo tempore *variola* primùm in
EUROPAM OCCIDENTALEM invec̃ta
est, medici, omni ævo, levare aut radicitùs
tollere conati sunt. Primum in finem, TUR-
cos imitati*, sanis morbum inserere insue-
verunt.

* Vid. SMOLLETT. *Continuation of the History of ENGLAND*, vol. II. pag. 445.

verunt. Sed, apud multos, etiamnum dubium est, an insitio ad expectationem responderit; quoniam vulgat morbum inter ignaros et obscuros hominum, qui, superstitioni dediti, hunc morbum, pariter atque alios, ad Deos referunt, et vano timore, ne eorum in se iram moveant, suis liberis inserendum nolunt.

II. Nonnulli tamen contendunt, *variola* insitione vulgari magis speciosum esse, quàm verum. Sed meherculè movere disputationem, an ita sit, necne, hodiè prorsùs inutile est; cùm rarâ nostri ævi felicitate ratio alia, uti tutior, ita efficacior, inventa sit, quâ hic morbus mitigetur, imò forsan exstinguatur.

III. Sed quomodò extirpari potest morbus tam vetus, tam pestilens, tam aspectu fœdus, parentum precibus tam inexorabilis, teneritati infantum, et virginum pulchritudini tam infestus et crudelis?—Inserendo alium morbum, qui, tametsi naturâ nec pestilens sit nec
sævus,

sævus, nec futuræ parentum virginumque spei inimicus, corpus tamen humanum aliquo modo sic feliciter mutat, ut, in reliquam vitam, illius pesti non sit opportunum.

IV. Vicarius hic morbus, de quo pauca scribere nobis in animo est, anno, post hominum salutem, millesimo, septingentesimo, nonagesimo et ferè octavo, primùm percelebratus scriptis est à JENNERO ; medico, qui tùm BIRKLEIÆ GLOCESTRIENSIS medicinam faciebat.

V. Hic tamen morbus, qui *VACCINA*, seu *VACCINA JENNERIANA*, appellatur, longo antè tempore, ut memoriâ traditum est, agricolis ANGLICANIS est cognitus, præcipuè autem GLOCESTRIENTIBUS, quorum agri pascuis viridibus et lacte abundabant ; itemque HIBERNIS, qui circumcolebant CORCAGIAM.

VI. Ut *vaccinam* vulgavit JENNERUS, alii medici præclari, hujus famam et laudem æmulantes,

lantes, certatim navârunt operam ei investi-
gandæ ; in primis autem PEARSONIUS et
WOODVILLIUS, qui, haud ita multò pòst, lite-
ris ejus historias, suam uterque, prodiderunt.
Periculis dein, pariter ac JENNERUS, conati
sunt comperire, quâ naturâ esset, et, numne,
humano corpori insita, certam à *variola* im-
munitatem polliceretur.

VII. Experimenta, numero plura, capta à
medicis non solùm in BRITANNIIS, GALLIA*,
GERMANIA, BATAVIA, cæterisque EUROPÆ re-
gionibus, sed etiam in AMERICA, et insulis
OCCIDUI SEMIORBIS, comprobârunt, quæ
scriptis ediderat JENNERUS ; et lætâ morta-
les spe consolantur, haud longo tempore fore,
ut *variola*, quâ sævior nulla pestis aut tetrrior,
prorsùs exstinguatur.

C A P.

* Vid. *Extract of the Report of the Central Com-
mittee at PARIS, on the subject of the VACCINE INOCU-
LATION, or COW-POX, made November 24. 1802.*

C A P. I.

Quibus Malis Vaccinum Genus afficiat Vaccina.

viii. His præmissis, nunc dicemus, quibus malis vaccinum genus afficiat vicarius morbus, quem persequimur. Verno potissimum tempore, ubi virescunt gramina, vaccæ lactariæ hoc morbo afficiuntur. Unâ correptâ, brevi tempore cæteræ quoque corripuntur. Vulgatur tamen morbus, non, sicut alii quidam pestilentes, tabo, quod diffundit aër circumfusus, sed manibus, et communibus ministeriis ubera mulgentium.

ix. In ubera et mammas vaccarum, in quas translata tabes est, paucos post dies erumpunt vesiculæ, seu pustulæ, parvæ, subcæruleæ sublividæve; quæ humorem limpidum continent, quasque circumeunt tumor, et inflammatio

matio quæ specie erysipelas simulat. Pus-
tulæ paulatim, ex margine, inæquales eva-
dunt ; et, nisi aptè curentur, in ulcera tetra
et curatu difficillima abeunt. Vaccæ intereà
valetudinis perturbatione afficiuntur : pastum
fastidiunt : incalescunt : febriunt : et ubera
minùs, quàm antea, lacte abundant.

CAP. II.

Quibus Signis cognoscatur Vaccina, in Hominum Genus fortuito, vel de industria, translata.

X. TABUM, ex ruptis pustulis inter mulgendum expressum, mulgentium digitis, præsertim partibus, si quæ, cuticulâ nudatis, se insinuat; et, haud multò pòst, movet translaticium morbum, quem *FORTUITAM VACCINAM* nominant medici; quò distinguant ab alia *vaccina*, quam, quippe tabo de industria insito translata, *INSITAM*, seu *INOCULATAM* appellant. De his speciebus ordine pauca dicenda sunt.

XI. *FORTUITA*.—Paucis pòst diebus, quàm tabum adnotum est, manus, præcipuè in summis

mis digitis, et circa articulos, exiguis ortis inflammationibus maculantur. Nec multò post, in his inflammatis partibus, perindè ac in ambustis, oriuntur exiguæ vesiculæ ; quæ, paulatim in omnem æqualiter partem latescentes, paucos post dies, figurâ amplos circulos repræsentant, centris depressos, marginibus extumidos.

XII. Hoc ferè tempore, subcœruleæ sunt, iis vaccarum subsimiles, atque limpidum humorem continent. Paucis diebus, partes, vesicularum radices circumjacentes, intumescunt et indurescunt ; simulque inflammatione afficiuntur, quæ, procedente morbo, erysipelas simulat.

XIII. Cùm eò processum est, tument aliquantulùm, dolentque *lymphaticæ* axillarum glandulæ : undè satis constat, tabum, ex vesiculis absorptum, in has delatum esse. Eodem fermè tempore, febris orta ostendit, hoc in ipsum sanguinem permanâsse, et esse, cum
hoc

hoc vitali humore, in omne corpus distributum. Quanquam autem aliena hæc materia, sanguini intermixta, cor et arterias, præter solitum, excitat, et febrem, eamque nonnunquam vehementem, movet, non tamen facit, ut cutis papulis efflorescat.

xiv. Ubì eò perventum est, paucis pòst diebus, partium, quæ vesicularum radices circumjacent, dolor, calor et inflammatio conquiescunt, simulque remollescit duritia. Haud verò rarò ipsæ vesiculæ usquè eò non simul siccescunt et sanescunt, ut in ulcera tetra et sanatu difficillima abeant. Verùm hæc tamen ulcera, utcunque ad tempus molesta sint, plerumquè, procedente tempore, naturalibus partium actionibus integris, siccescunt, iisque cicatricula confirmatur. Corporis valetudinis perturbatio, quamvis interdùm gravis, semper tamen fugax est, nunquam periculosa.

xv. *INSITA*—*vaccina* in quibusdam differt à *fortuita*, quam descripsimus. Cùm ita sit, notas illi proprias paucis exponemus.

xvi. Tertio post insitum tabum die, punctum exiguum inflammatum apparet in ipsissima parte, in quam inditum tabum est. Die postero, plusculùm erubescit, et tangenti summo digito subdurem et tumidulum est. Postridie ejus diei, inflammatum punctum occupat vesicula, et notæ *insitæ vaccinæ* propriæ oculis se manifestare incipiunt.

xvii. Hoc tempore, partes vesiculis circumfusæ adeò non inflammantur, ut in *variola* solent, aliisque morbis quibus cutis efflorescit, ut lacteo colore appareant. Nunc vesiculæ, etiamsi turgescant, at centrum tamen versus concavæ sunt, marginem versus gibbæ. Per duos dies proximos, vesiculæ quoquoversùm patescunt, haud secùs atque eæ *vaccinæ fortuitæ*; atque, septimo die, mediocriter jam amplæ sunt.

xviii. Octavo

xviii. Octavo ferè die, post tabum insitum, partes, quæ vesicularum radices circum-eunt, inflammari incipiunt. Per duos, non-nunquàm tres dies, inflammatio in omnem æqualiter partem, tanquàm à centro, serpit ; atque, quo tempore constiterit inflammatio, media inflammati circuli linea modò semidigitalis est, modò duos amplius digitos longa. Hic circulus rubro splendore erysipelas æmulatur ; et non ipse modò, verùm vicinæ quoque partes sunt præduræ atque intentæ.

xix. Undecimo ferè die, ubi desinunt patere vesiculæ, vicinarum partium inflammatio remittere incipit, et emolliri duritia. Humor vesicularum, hucusquè tenuis et perlucidus, lentescit, fitque aliquantulùm luci impervius. Tota dein vesicula, cum incluso humore, brevi arescit in crustulam lævem, nitentem, aliquantùm perlucidam, pullo aut subrubro colore ; quæ, nisi vestimentorum attritu alio-
quive intempestivè deglubatur, unam alte-
ramve hebdomadam remanet, dein sponte à
cute

cute resoluta decidit, sanis jam partibus subjacentibus.

xx. Hoc plerumquè tenore procedit *insita vaccina*. Interdum autem adultorum totius corporis valetudo plùs minùs perturbatur. Octavo post tabum insitum die, *lymphaticæ* axillarum glandulæ paululùm intumescunt; atque, singulis humerorum motibus, dolent, ægrisque ipsis, perindè ac rigidæ, videntur. Dolet simul caput: horrores totum subindè corpus percurrunt: arteriæ solito vehementiùs agitantur. Quæ sanè mala, cæteraque quibus affici solent febrientes, aliàs duas non amplius horas urgent, aliàs duos tresve dies.

xxi. Quanquam *vaccina insita* malis cùm partis, in quam introducta tabes est, tùm totius corporis, plerumquè est uniusmodi, sui que similis; imperpetua tamen mala nonnunquàm internascuntur, quæ haud idoneum esset silentio præterire.

xxii. Vesiculæ

XXII. Vesiculæ aliquandò, etiamque inflammati circuli, duobus tribusve diebus citiùs seriùsve consistunt, quàm suprà diximus. Quinetiam, si vestimentorum attritu, vel infantum unguiculis, vel casu aliquo iniquo vesiculæ præmaturè diruptæ sint, aut crustæ à subjacentibus partibus separatæ; decimo ferè die, sanies, seu *ichor*, effundi incipit ex illis, aut crusta scabrosa his superincrescere: quibus sanè alterutrisque subjacentia ulcera, per aliquod tempus, impediuntur, quò minùs sanescant; imò, interdum in tetra abeunt, quæ ægrè percurantur.

XXIII. Aliquandò pustulæ oriuntur, non solùm circa partem, in quam insitum tabum est, verùm etiam in aliis corporis partibus. Hæ pustulæ iis sanè persimiles sunt, quæ ex tabo *varioloso* oriuntur; et, enimvero, est, quamobrèm opinemur, *variolosarum* naturæ aliquatenùs participes esse, quoniam ferè nusquam proveniunt, nisi in locis ubi *variolæ* grassantur.

XXIV. Hoc

xxiv. Hoc observato, in animum induxit WOODVILLIUS, hujusmodi pustulas effici circumfuso aëre *variolosâ* tabe inquinato, cui multi eorum, in quos insevit *vaccinam*, erant, ante insitionem, expositi. Ut, ita esset, necne, percognosceret, experiri instituit; et comperit, quod animo antè conceperat, esse quàm verisimillimum*.

xxv. Nonnunquàm pustulæ iis *vaccinæ* consimiles, in quibuspiam brachii partibus, præsertim anticâ, oriuntur; hinc, uti putatur, quòd, cute incautè persectâ, tabum in *cellulosam telam* insitum est. Ubì hoc accidit, pars secta aptior est, quæ magnam inflammationem concipiat. Tertio haud rarò die, post tabem insitam, brachium efflorescit exiguis papulis; quæ, uno alterove die, sponte evanescent.

C A P.

* Vid. WOODVIL. *Observations*, ann. 1800.

CAP. III.

Quâ potissimum Ætate, inserenda sit Vaccina.

xxvi. Quâ potissimum ætate, inserenda *vaccina* est? Ullâ ferè ætate, tutò inseri potest. Verùm tenerâ tamen ætatulâ, ubi dentiunt infantes, insitio non æquè tuta est, ac postquàm dentes provenerunt. Tunc enim illi, propter naturalem corporum infirmitatem et teneritudinem, ad irritandum faciles sunt; ideoque apti, qui cruditatibus, acore, aliisve irritantibus in febriculas incidant, quorumque summa cutis papulis pustulisve efflorescat.

xxvii. Has ob causas, fieri potest, ut *vaccinæ* inflammatio aut seriùs, aut omninò non, oriatur;

oriatur; aut orta conquiescat seriùs. Quinetiam, tabum digitis alioquive nonnunquàm transfertur in alias atque alias partes; in quibus, præsertim si jam papulis pustulisve, quales modò memoravimus, exasperentur, novas vesiculas movet. Sic aliæ post alias vesiculæ, hìc illìc cutis, excitari possint; quarum singulas tanta propemodùm vis inflammationis comitetur, quanta eam, quæ tabi insitioni supervenerit.

xxviii. Quum ita sit, satiùs videtur, nisi in vicinia grassentur *variolæ*, conferre *vaccinæ* insitionem in eam ætatem, quâ, enatis dentibus, infantes, firmitatem adepti, minùs irritabiles sint, et febriculosi*.

C A P.

* Aud. ALEXAND. MONRON. SECUND. Prælect. de Anat. et Chirurg. in ACAD. EDIN.

C A P. IV.

Undè extrahendum sit Tabum, quo transferatur Vaccina; quâ ratione conservandum; quâ inserendum.

XXIX. PROXIMUM est, ut, hîc loci, pauca de ipso tabo eligendo dicamus; quippe quo nihil cognitu utilius sit, nihil neglectu turpius et indignius.

XXX. Medici debent tabum, quocum instituunt *vaccinam* in humanum corpus transferre, extrahere ex uberibus vaccæ, quæ ipsa *verâ vaccinâ* laborat. Haud enim rarò vaccarum papillæ spurii generis pustulis afficiuntur; quarum humor, humano corpori insitus, movet alia et graviora mala, quàm genuinus humor vaccinus. Verum si tamen

in memoria teneant medici notas supradictas, quibus *vera vaccina* cognoscatur, facilè dignoscant pustulas idoneas, ex quibus tabum excipiant.

XXXI. Observatu, porrò, dignum est, tabum, septimo, octavo, aut nono ex papillarum inflammatione die, exemptum, optimum esse, ut compertum est, quo in humanum corpus *vaccina* transferatur; et tabum, ex pustulis exulceratis extractum, transferendi vim amississe.

XXXII. Quinetiam, considerandum est, quemadmodùm tabum conservetur, ne propagandi facultatem amittat. Hunc in finem, cavendum est, ne fermentescat, et aëri objiciatur. Primo consilio, simul ut vesiculâ exemptum est, debet leni igne siccari, donec omnis ex eo tenuis humor vaporaverit. Secundo, ut suadet JENNERUS, in calamum aut vitri frustulum exceptum, et, uti diximus, exsiccatum, in phialam indendum est; quæ dein
probè

probè obturanda : quibus factis, nonnunquam, ut periculo compertum est, vires, per tres menses, retinet *. Phialâ itidem inclusum, quæ insuper continet *hydrogenium* aut *nitrogenium*, longum in tempus, uti comperit PEARSONIUS, possidet *vaccinam* et sui simile prognerandi facultatem †.

XXXIII. Ubî tabum, sic exsiccatum, conservatum est, opus erit, ut medicus priùs remolliat aquæ fervidæ vaporibus, quàm in humanum corpus inserat.

XXXIV. Quâ ratione inserendum sit tabum *vaccinum*, non opus videtur multa dicamus, quoniam eâdem commodissimè inseritur, quâ tabum *variolosum*. Cute scalpello chirurgico levissimè incisâ, donec sanguinis guttula provenerit, dein hâc abstersâ, fili frustulum, tabo *vaccino* imbutum, incisæ parti inserendum est.

Hujusmodi

* Vid. JENNER. *Further Observations*.

† Vid. DUNCAN. *Annals of Medicine*, ann. 1800.

Hujusmodi insitio cæteris antefertur à medicis, eò quòd et facilior est, et sæpiùs ad spem respondet. Scalprum, ex *platina* confectum, ferreo præferendum est, ut putat PEARSONIUS, quia minùs aptum est, quod *oxydetur* *.

C A P.

* Vid. DUNCAN. *Annals of Medicine*. ann. 1800.

CAP. V.

Quibus vera Vaccina differat à spuriis, et Variolá insitá.

XXXV. NUNC operæ pretium erit animum ad ea advertere, quibus *vera vaccina* differat à *spuriis*, et *variolá insitá*; quippe morbis, qui eam aliquantulùm simulent.

XXXVI. *SPURIAE VACCINÆ*,—ubì in humano corpore oriuntur, proveniunt ex adulterino tabo, excepto aut spuriis vaccinarum papillarum pustulis; aut spuriis humani corporis ipsius, quas insitum tabum adulterinum, malusve sanguinis habitus excitaverit. *Spuria vaccina*, utroque horum fontium oriatur, quamvis partis, in quam tabum adulterinum penetraverit, inflammationem gravem excitet, et multùm perturbet

perturbet totius corporis valetudinem ; tamen, ut edocuit experientia, neutiquàm hominis constitutionem sic feliciter mutat, ut, quod supersit ævi, *variolæ* immunitate fruatur.

xxxvii. Pustulæ, quæ, verno tempore, ubi, repubescente sole, pubescunt prata floribus, et herbescunt agri, lactantia vaccarum ubera mammasque asperant et ulcerant, genere variæ videntur ; et neutiquàm omnes salutiferam virtutem possident, quæ, in hominum corpora translata, iis afferat *variolæ* immunitatem. Cæteræ tamen pustulæ distinguantur ab ea, cujus humor *variolam* arcendi vi pollet ; modò medici, quorum sanè plurimùm interest discrimen scire, animadvertant ea, quæ dicturi sumus.

xxxviii. Pustulæ, quarum humor pollet hominum corpora à *variola* tutandi potentiâ, contrà atque cæteræ, vaccarum valetudinem usquè eò perturbant, ut læta gramina, optanda sanis, fastidiant ; et earum ubera, antè
lacte

lacte distenta, ferè siccescant. Quinetiam, ut suprà (ix.) diximus, earum radices definito tempore circumsidet inflammatio, quæ specie et colore erysipelas refert. Aptiores, porrò, sunt, quæ in ulcera mala et curatu difficilia abeant. Ad hoc, ulcera, quæ movent, in subjacentes partes carnosas penetrant; contrà atque ea cæteris pustulis supervenientia, quæ tantummodò cutem afficiunt, et brevi scabrosis crustis obducuntur. Huc accedat, quòd, aliter ac cæteræ, subcæruleæ sunt aut sublividæ, et contactu humoris, qui formatur in ipsis, multo faciliùs vulgantur.

xxxix. Ubì in humanum corpus tabum insitum est, quod non potest id tueri à *variola*, nonnunquàm, paucis pòst horis, inflammatio partem insitione punctam capit; et, die postero, erupta papula haud minùs increvit, quàm ea, quam movet tabum *variolam* arcendi potens, quarto die solet. Aliàs inflammatio, quam illud tabum excitat, haud secùs atque ea quam hoc, tertio die oritur: at orta adeò
tardè

tardè increscit, ut, die septimo aut octavo, non longiùs processerit, quàm hæc posterior consuescit die quarto ; et, nullo pure idoneo tabo formato, die nono decimo evanescit. Nonnunquàm, secundo post insitum illiusmodi tabum die, punctam partem vis inflammationis adoritur, et citò increscit ad diem quintum sextumve usquè ; quo tempore suborta pustula continet humorem purulentum, et eo spissiore qui *variolam* arcere pollet. Quinetiam, binæ areolæ, quæ pustulas illiusmodi tabo ortas circumsident, sexto septimo die apparent ; figurâ conum referunt ; et margine sunt inæquales, huc illuc fines prolatantes : contrà, binæ areolæ, quæ pustulas huiusmodi tabo natas circumeunt, undecimo duodecimo ve oculis obveniunt ; et centro depressæ, margine gibbæ sunt. Porrò, pustularum, quæ ex illo tabo nascuntur, earum quæ ex hoc non item, humor, modò quarto die, modò quinto sextove, purulentus est, glutinosus, sufflavus et luci impervius. Denique, crustæ, quæ illis pustulis superveniunt, sunt tenues et obscure

scurè sufflavæ; quæ his, pullæ, aliquantulum perlucidæ, et haud leviter crassæ*.

XL. *INSITA VARIOLA*, et *insita vaccina vera*, multis inter se differunt. Vesicula, seu pustula, *vaccina* circularis est, centro depresso, margine gibbero et definito; et, quinto sextove die, incipit crustam obducere, quæ paulatim increscit ad diem post insitionem duodecimum tredecimumve usquè, ubi pustula omninò exsiccescit. Contrà in phlegmone *varioloso*, qui ambitu inæqualis est, oriuntur initio complures vesiculæ discretæ; quæ, aliquantò post in unam coalescentes, formant majorem pustulam, quæ non incipit crustam ducere, dum contentus humor in pus concoctus sit.

XLI. Quinetiam, pustula *variolosa* humorem in bonum pus concoquit, dein contrahit crustam

D

tam

* Vid. GEORG. BELL. *Treatise on the Cow-Pox*, Cap. II. Sect. IV. EDIN. ann. 1807.

tam tenuem, scabrosam, et luci imperviam. Humor, quem continet pustula *vaccina*, semper limpidus est, demùmque concrescit in crustam lævem, et aliquantùm perlucidam.

XLII. Pustula, porrò, *variolosa* tantummodo unum cavum continet, et puncta totum humorem effundit. *Vaccina*, contrà, pustula, sicut favus, cavernosa est, neque cavernulæ inter se communicare videntur.

XLIII. Ad hoc, pus, ex pustula *variolosa* absorptum, et in sanguinem delatum, facit, ut, in cæteris cutis partibus, pustulæ plures paucioresve oriantur; non item pus, absorptum ex pustula *vaccina*.

XLIV. Huc accedat, quòd humor pustularum *variolosarum* naturâ pestilens est; et, per aëra diffusus, vel contactu et ministeriis in vicem translatus, *variolam* vulgat: dum humor pustularum *vaccinarum* neque naturâ pestifer

tifer est, neque sic diffusus, aut translatus, propagat *vaccinam*.

XLV. *Vaccinificum* denique tabum, postquam per multorum deinceps hominum corpora propagatum est, vaccæ denuò insitum resuscitat *veram vaccinam*. Contrà, experientia edocuit, *variolificum* tabum, vaccæ insitum, nullum omninò morbum excitare.

C A P. VI.

Quæ ex Insita Vaccina eveniant.

XLVI. PROXIMUM est, ut, de insitionis eventu, pauca dicamus. Qui mortalium, seu quâdam corporis constitutione, seu aliâ quâcunque causâ minùs idonei sunt, qui *variolam*, sive *fortuitam* sive *insitam*, capiant; iidem, ut observârunt medici, sæpè nihil morbi nanciscuntur ex *insita vaccina* *.

XLVII. Si, biduo triduoque, post insitum tabum *vaccinum*, tumor et rubor à parte puncta longè latèque quoquoversùm patent, verisimilimum est, insitionem parùm profecisse, et non polliceri *variolæ* immunitatem. Idem concludendum est, ubi nullus omninò rubor et tumor insitionem subsequuntur.

XLVIII. Quin-

* Vid. WOODVILL. *Observations*, &c.

XLVIII. Quinetiam, si, tertio quartove post insitum tabum die, apparet pustula ampla, centroque eminens; cujus apex vesiculam continet, et cujus basim circumit magna vis inflammationis: sat est, quarè putent medici, insitionem non ad spem respondisse, et corpus manere *variolæ* obnoxium.

XLIX. Contrà, pustula circulatim definita, ex centro depressa, ex margine eminens, octavo ferè die inflammatione et rubore circumfusa; febricula ostendens, cæterum corpus partis mala participare; indicant, insitionem *vaccinæ* ad spem respondisse, et hominem, in reliquam vitam, fore à *variola* tutum.

L. *Vaccina* infantum fermè semper mitior est, quàm adulatorum. Infantes rarissimè februnt, et, siquandò, levissimè; adulti sæpè, et nonnunquàm vehementer. Mitior quoque *vaccina* est, ubi, octavo nonove die, inflamma-
tio

tio et rubor pustulam circumfundunt; quàm ubi, non ante undecimum.

LI. *Vaccina*, per se, nunquàm lethalis est. Perpauci, quibus mortem attulisse dicitur, aliis, uti nunc cognitum est, periêrunt morbis; sæpè profectò *variola*, cujus tabo aliquo priùs modo expositi fuerant, quàm iis *vaccinæ* tabum insitum est*.

C A P.

* Vid. WOODVILL. *Reports*.

CAP. VII.

Quam postulet Curationem insita Vaccina.

LII. DE *vaccinæ* curatione, multa dicere haud opus est. Adeò enim mitis est, ut medicinam vix requirat, præcipuè in teneris infantibus. Nec quidem necessarium est, vel saltem rarissimè, medicamentis corpus præparare, ante tabi insitionem, ut nonnulli medicorum curant præparandum, priusquàm *vacciniosum* tabum inserant. Adultis tamen, ubi pure ex pustula absorpto, vehementiùs febricitant, utile est alvum solvere catharticis refrigerantibus, videlicet *secundariis* quibusdam *salibus*.

LIII. Ubi *vaccina* optatò et ritè procedit, rarissimè opus est, ut partibus remedia aut
medicamenta

medicamenta applicentur. Quoties verò, ante areolam formatam, vesicula dirupta humorem effundit, neque dein exsudare cessat ; consuescunt medici curare lintea aquâ frigidâ madefacta, alia post alia, diruptæ pustulæ admovenda, quæ vasa paululùm astringant, et humorem coërceant. Si hæc parùm valent, alia, quæ vehementiùs astringant, experienda sunt ; *dilutum*, velut, *acidum sulphuricum*, vel *acetis plumbi* aquâ solutus*.

LIV. Ubì pustula non, uti debet, scabiem capit, sed dolet ; atque vicinæ partes magnam inflammationis vim habent ; et brachium ægro moventi proindè videtur, ac si rigesceret ; consuescit JENNERUS præcipere, ut parti præparata quædam ex hydrargyro, præsertim *unguentum hydrargyri nitrati*, paucos dies, imponantur, dein omittantur †.

LV. Axillæ

* Vid. JENNER. *Further Observations*.

† Vid. JENNER. *Continuation of Facts*, ann. 1800.

l.v. Axillæ glandulis *lymphaticis*, modò inflammationem capiant, tumescant et doleant, lintea madida ex aquâ lithargyri compositâ admovenda sunt, et, his siccatis, alia substituenda.

l.vi. Ubì æger placidum somnum non capit, sed terrifica somniat, et subindè perterritus excitatur; ne nervorum distentionibus corripiatur, alvus, si opus, solvenda est; corpus aëre cautè admissò refrigerandum; et noctu, omnibus procùl amotis, quæ quietem interrumpunt, gratus somnus conciliandus.

C A P. VIII.

Unde Originem ducat Vaccina.

LVII. DE *vaccinæ* origine, medici in duas partes abiêrunt. Nonnulli, JENNERO duce, contendunt, hoc malum oriri in vaccis lactariis tabo, quod in earum papillas transtulerunt mulgentium manus, ex morbidis pedibus equinis. Alii, WOODVILLIUM, SIMMONSIUM, et COLEMANUM secuti, putant, in ipsis vaccis lactariis ingenitum morbum.

LVIII. Litem, inter tam præclaros auctores, componere, qui utrobiquè opiniones experimentis confirmârunt, non possumus; cùm, de re controversa, nihil sciamus, præterquam quod ex ipsis disputantium scriptis didicerimus.

LIX. Quantùm

LIX. Quantum autem, ex comparatis inter se experimentis et observationibus, colligi potest; nobis videtur, tabum, quod ex pedibus equinis, sive rectà sive per vaccam, humano corpori insitum est, atque tabum eidem insitum ex vaccarum papillis, quas nullum tabum, per manus mulgentium ex pedibus equinis translatum, inquinavit †, excitare eundem morbum; aut saltem morbum, quo corpus sic mutatur, ut *variola* affici non possit.

C A P.

* Vid. JOANN. G. LOY. *Experiments on the Origin of the Cow-pox.* edit. WHITBY, ann. 1801.

† Vid. DUNCAN. *Annals of Medicine*, M,DCCC,I, pag. 460, et seq.

C A P. IX.

Quarè insita Vaccina potiùs ferenda sit, quàm insita Variola.

LX. NUNC breviter considerandum est, cur, factâ comparatione, *insita vaccina* morbus levior habenda sit, et potiùs ferenda, quàm *insita variola*.

LXI. *Insita vaccina* hæctenus non lethalis fuit; dum *insita variola*, ut omnibus plùs satìs innotuit, plurimos quotannis mortales perimit. Perpaucos enim, quibus *insita vaccina* visa est mortem attulisse, medici, omnibus exploratè cognitis, credunt aliis interiùsse morbis.

LXII. Quinetiam, *insita vaccina* nec infantum constitutionem infirmit, nec ipsos aptos reddit,

reddit, quos alii morbi adorianur. Imò sunt, qui contendunt, sic feliciter mutare eorum corpòra, ut ex *rubeola*, *pertussi*, et dentitione minus detrimenti et periculi accipiant. Contrà, vel *insita variola* haud rarò oculorum inflammationem et caliginem inducit; et viva facit scrofulæ seminia, quæ alitèr fortassè nunquàm vivescerent.

LXIII. *Insita vaccina* rarò febrem movet; et, siquandò, plerumquè adeò levem, ut vel expectantes vix percipere possimus. Contrà, febris, quæ *insitæ variolæ* supervenit, sæpè expectatione multo gravior est; et matres, futuri anxix et sollicitæ, haud rarò, lacte corrupto, faciunt, ut futura omnia mala graviora eveniant.

LXIV. *Insita*, porrò, *variola*, quantum cognovimus, haud minùs pestilens est, quàm *fortuita*; et, si indatur in unum, circumfuso aère, contagione, ministeriis in vicem, imò ipsâ curatione in totam vicinitatem vulgatur.

Vaccina

Vaccina, contrà, non, nisi insitione, propagari potest.

LXV. Quin et *vaccina* potest tutò inseri, omni anni tempore. *Insita* verò *variola*, quamvis comparatè levior sit *fortuità*, non tamen, omni anni tempore, æquè tutò propagari potest. Æstate enim calor graviolem reddit, hieme frigus.

LXVI. Neque, enimvero, opus est, ut corpus præparetur medicamentis, priusquàm inseratur *vaccina*, nisi alvus naturalitè astricta sit. Ubì ita est, necessarium profectò erit, eam, uno alterove die ante insitionem, *muriate hydrargyri dulci* solvere, et insuper semel bisve progressu morbi. Ante autem *variolæ* insitionem, corpus, modò plenum sit, extenuandum est tenui diætâ, et catharticis.

LXVII. Ad hoc, in *vaccina insita*, nulla plerumquè signa oriuntur, quæ medicinam postulent. In *variola* verò *insita*, haud rarò necessarium

cessarium est, ut medicus nervorum distentionibus, aliisque malis quibus exercentur ægri, subveniat.

LXVIII. Huc accedat, quòd vel *insita variola* faciem nonnunquàm pulchritudine despoliat ; *insita vaccina* nunquàm.

LXIX. Tenerrimâ, denique, ætate infantibus tutò inseri potest *vaccina*. Vix autem tutum est, infantibus, ante tertium aut quartum mensem, *variolam* inserere : et fieri potest, ut, ante hoc tempus, *fortuitâ variolâ* capiantur et pereant*.

* Vid. GEORG. BELL. *Treatise on the Cow-Pox*, Cap. II. Sect. VII.

